

detis, aperientur oculi vestri, eritisq; sicut Dii, scientes bonum & malum. Hac fraude decepta prima omnium hominum mater Heva comedit, deditq; viro suo Adamo, & ipse comedit. Gen. 3. v. 1. & seqq. Primum hoc fuit studium & actio cōmunis diaboli & serpentis: **MENTIRI & OCCIDERE.** Mentitur enim hīc serpens antiquus diabolus dicendo: *Nequaquam morte moriemini.* Nam Deus, qui ipsa veritas est, expressè prædixerat Gen. 2. v. 16. *Quacunq; die de ligno scientia boni & mali comedes, morte morieris.* Occidit etiam, & ita quidem, ut D. Apostolus Paulus non unius tantum hominis, sed totius generis humani temporalem & æternam mortem primæ huic seductioni Rom. 5. v. 12. attribuere haud vereatur. *Per unum enim hominem peccatum introiit in mundum, & per peccatum mors, & ita mors in omnes homines pertransiit.* Rectè igitur Christus servator noster inquit Joh. 8. v. 44. *Diabolus homicida erat ab initio, & in veritate non stetit; quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex proprio loquitur: quia mendax est, & pater illius.* De ignitis serpentibus legimus Num. 21. v. 6. quod ipsorum moribus in populo Israelitico, maxima hominum

minum